

tum est⁶. Quod ita esse nos quoque hinc facillime possumus probare, quia si vel punctus eandem coaequationem impediret, iam dudum nulla computationi nostrae luna conveniret.

- 30 Hic vero cyclus continet menses solares CCXXVIII, lunares autem CCXXXV^d. Solaris vero mensis XXX dies, X horas ac semissem recipit. Sicque decennovenalis cyclus in CCXXVIII mensibus habet dies VIDCCCCXXXVIII et horas XVIII, id est dodrantem diei. Unde ut aequalitas solis et lunae praedicta in suprascripto cyclo servetur, necesse est
- 35 lunam in CCXXXV mensibus suis tantum temporis^f continere. Sed si unus lunaris mensis nihil ultra XXVIII dies horasque XII haberet, CCXXXV^g menses non nisi VIDCCCCXXXII dies horasque XII contingerent, solaresque XVIII anni lunares totidem VII diebus et VI horis superarent.

- 40 Cum haec igitur ita se habere perspicerem, caepi tota diligentia lunaris mensis quantitatem solus sedens investigare, tuam, mi dulcissime frater, affabilitatem iugiter adesse desiderans, tuique solamen dudum expertum adiutorii semper exoptans.

- Interea compotus Nothgeri novelli de caenobio sancti Galli didascali
- 45 mihi advenit, qui de eadem aliquid quaestione breviter tangit⁷. Quem cum avide perlegerem, non solum me de praedicto scrupulo non absolvit, verum etiam opposita solvendi difficultate plus^h quam^h putaram amaricavit. Refert tamen Columbanum dixisse saepe dictum mensem supra praedictam quantitatem semissem horae *et pene X momenta* recipere. *Pene dixit*
- 50 *ille et non plene*⁸. Cumque illud cur ambiguumⁱ poneret diligenter requisissem, deprehendi tales CCXXXV menses VIDCCCCXXXVIII dies, horas XX ac X momenta ita recipere, sicque duabus horis et X momentis iustum terminum excedere.

- Sed cum haec stultae curiositati meae minime proficerent, his omissis
- 55 caepi punctos, minuta, partes, momenta ostentaque VII dierum et VI horarum, qui praedictis CCXXXV lunaribus desunt mensibus, per ipsos distribuere, ut quanta cuique particula ex his contingeret^k aliquatenus possem invenire. Cum autem semper aliquid remaneret, quod non sine

d) CCXXXII Hs. e) et Hs. f) *am Rand* Hs. g) CCXXXII Hs.
h) *am Rand* Hs. i) *über der Zeile* Hs. k) *verbessert aus* contingerent Hs.

⁶) Beda, De temporum ratione c. 44, CC 123 B, 418f.; Notker, De quaestionibus S. 34.

⁷) Notker, De quaestionibus S. 33f.

⁸) Notker, De quaestionibus S. 34 nach De saltu lunae (wie Anm. 83) S. 212–214.